

ribus quandocunque de captiuitate redeuntibus sine ulla questione reddantur alioquin adulterij crimine quamdiu cum secundis fuerint postquam priores viuere nouerint maculantur. Denique quiddam audiuimus quod magno nobis fuit horrori quod quidam inter vos sunt qui dyabolica fraude deceperit. hominem quendam in potacione et ebrietate occisum quasi sanctum. more infidelium venerantur cum vix eciam pro talibus in suis ebrietatibus interemptis orare permittat ecclesia. Dicit enim apostolus. quoniam ebriosi regnum dei non possidebunt unde a potacionibus et ebrietatibus si regnum dei habere desideratis vos continere oportet et hominem illum de cetero collere in periculum animarum vestrarum nullatenus presumatis Cum eciam si signa et miracula per eum plurima fierent. non liceret uobis pro sancto absque auctoritate Romane ecclesie eum publice venerari Sed in hiis omnibus que prediximus et aliis que ad salutem vestram pertinere noscuntur. tales uos exhibere curetis vt bona temporalia et eterna a deo bonorum omnium retributore consequi mereamini Si autem ea que dicta sunt custodire auctore domino uolueritis et in aliis virtutum operibus ambulare. nos de christi misericordia et auctoritate et potestate beatorum petri et pauli apostolorum eius confidentes. quadragesimam que est ante festum sancti michaelis vobis remittimus. excepta sexta feria. quam pro reuerencia crucis christi in ieiuniis et aliis bonis operibus debetis attencius venerari Super visitacione uestra qua nos in multis necessitatibus uestris et ecclesie per Richardum presbiterum et alium socium suum latores presencium visitastis graciarum uobis reddimus acciones. et presbiterum qui pro uobis ad sedem apostolicam veniendo plurimum laborauit. uobis attencius in domino commendamus Datum Tusculani secundo non. Julij.

42.

1162 — 1178.

Abbot PETERS i S:t Remi förord hos Årke-B. ESKIL i Lund för en till Norden resande Canik.

K. h. 2. 579. n:o 73.

*Domino suo & amico carissimo Eskilo Lundensi Archiepiscopo frater
Petrus humilis Abbas sancti Remigij salutem & deuotionis obse-
quium.*

Svauissimus odor miserationum vestrarum non solum præsentes recreat afflatu delectabili, sed etiam absentes & remotos attrahit ad se, spe nimirum tam dulci, quam inconfusibili. Quis enim vestra expetiuit suffragia, & inconsolatus recessit? Quis ad ostium vestrum pulsauit, & non aperiuit ei? Quis de manu vestra benedictionem petens, tanquam de thesauris opulentissimis copiosam non retulit? Inter cæteros itaque, & de

cæteris vñus est T. præsentium lator, quem tot pericula itineris, tot difficultates ad vos perueniendi non exterruerunt, nec retinuerunt, compellente & instigante illum, tantum laborem insumere, fama, quæ de vobis vbi-que terrarum diffunditur. Non equidem rerum inopia, non abiectione & vilitas inter suos, euomuit illum in terram vestram, cum & Canonicus S. Timothei sit, & frater Hildoini, Vicedomini & Canonicus S. Mariæ Remensis. Rogamus igitur, ne frustetur spe sua: ne quando apud se poenitens, & dolore cordis intrinsecus tactus dicat, Perijt opera & impensa. Ego cum toto conuentu B. Remigij vester sum, & pro vobis orationem fundimus ad Deum, vt sanctissima anima vestra thesauros, quos in cœlo posuit per manus pauperum in exitu suo reperiat, & bonis domus Dei repleta cum sanctis Angelis æterna lætitia congaudeat. Valete.

43.

1162 — 1178.

Abbot Peters i Remi Skrifvelse med FOLKE 1) till Påfv. ALEXANDER III med förord för denne sin fordna Lärjunge, hvilken blifvit Biskop och ernade bland hedningarna i Norden utbreda Christendomen.

K. h. 2. 584. n:o 87.

Alexandro Papæ Petrus Abbas S. Remigij.

Quæ in euidenti & manifesto sunt vera, se ipsa loquuntur, seipsa nullo adjuncto adminiculo testantur. Quæ autem remotione loci, euolutione temporis, vel cuiuslibet implicatione caliginis profundum tenent ignorantiae, cum rei publicæ poposcerit vtilitas, sub luce volunt videri. Hinc est, pater sanctissime, quod lator præsentium, in gremio nostræ humilitatis coalescens, habitum religionis a nobis in monasterio Cellensi suscepit, diuque ibi vbera vini meliora sugens, in virum Episcopalem gratia Dei cooperante profecit. Reuera opus & onus iniuncti officij amplectens, non aurum robur suum ponens, nec obrizo dicens, fiducia mea. Quærerit enim a sede Apostolica mortem per mortem, quia & in itinere quo pergit, mortem minatur æstas, & Imperialis potestas, & quam exposcit, si obtinuerit, mortem importat

1) Denne Folke hade blifvit Munk i Celles och sedan i Remi, dit han synes åtföljt Abbot PETER; blef sedan af Lunds Ärke-Biskop ESKIL förordnad till Biskop i Sverige eller Estland, som då räknades till Sverige. Jfr. J. Sirmondi Noter till dessa Bref i K. h. 2: 613, till 5 Bok. n. 19, och s. 632 till 6 Bok. n. 8.

Härvid förtjenar anmärkas att denne Folke genom ett synbart tryckfel hos Vastov. i Vit. Aquil. s. 163 blifvit i Påfv. ALEXANDER III:s Bulla till alla Christtrogna i Danmark kallad *Julio*, då likväl K. h. 2: 621 n:o 20 i samma Bulla har tydlichen *Fulco*.